

carnis; Hebr. XII, 9. notandum tamen est, Deum non immediate adhuc creare animas, ideoque vocari Patrem spirituum: sed, potius ita dici, propter creationem spirituum completorum invisibilium ac animæ primæ, ex puro nihilo negativo, quam inspiravit in nares hominis primi, Gen. II, 7. atque sic contradistinguitur a Patribus carnis, generantibus carnem, i. e. totum hominem, post lapsum corruptum, Gen. V, 3. Cap. VI, 12. 13. Joh. III, 6. Potissimum tamen dicitur Pater spirituum, propter regenerationem & spiritualium donorum collationem, quod eleganter B. Dorschæus, Commentario in hunc locum, exprimit his verbis: *Deum, non quatenus in regno is naturæ vitam & halitum omnibus dat, sed quatenus in regno potius gratiæ, ex aqua & Spiritu regenerat multos, in plurali Patrem nuncupat Spirituum, i. e. spirituales.*

2. Creavit quidem Deus, ex pure nihilo negativo, primam animam, eamque in nares Adami inspiravit, Gen. II, 7. coll. cum Zach. XII, 1. formavit quoque mediate secundam animam Evæ, per unam de costis, quam sumserat de Adamo, Gen. II, 21. 22. et nunc non amplius ita, sed mediate per Parentes, & corpus, & animam propagat, Gen. V, 3. coll. cum Zach. XII, 1.

CAPVT XIX.

DE IDIOMATVM COMMVNICATIONE.

Pag. m. 97. Aphorismus 2.

Idiomata, seu propria divinæ naturæ, non sunt per unionem personalem communicata naturæ humanæ.

Est falsus & erroneus. Nam

1. Scriptura S. idiomata divinæ N. humanæ Christi naturæ tribuit; ita tamen, ut vindicetur proprietas Deitati, cui formaliter competit, & approprietur Humanitati, cui non formaliter, sed per unionis gratiam, competit, 1. Petr. III, 18. Eph. II, 4. Rom. I, 3. Cap. IX, 5. 2. Cor. XIII, 4. Ebr. IX, 12.

2. Licet non competant humanæ Christi naturæ idiomata divinæ naturæ ἰστωδῶς; competunt tamen καὶ ἐνώσεως χάριν, καὶ ἄλλο. Ergo humana Christi N. in hypostasi Deitatis sit, necesse est, Matth. XXVIII, 18. Hebr. VIII, 1. Apoc. III, 21. coll. cum Jes. LXVI, 1.

3. Λόγος, cum sua divina natura, propriam suam gloriam & excellentiam humanitati, hypostatice sibi unitæ, ob hanc ipsam unionem hypostata-

posta-